



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

Cap. I. Successionem explicat Caroli Magni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)



LIBER SE- CVNDVS.

SVMMA.

Successionem explicat Caroli
Magni.

CAPVT PRIMVM.

*Imperium Romanum de gente Francorum
ad gentem Saxonum Summi Pontificis
auctoritate transisse.*



EQVITVR ALTERA CONTROVER-
sia apud Illyricum de translatione Imperij
ad Saxones; quam translationem Illyricus
non modò non auctore Romano Pontifice,
sed etiam eo inuito factam esse contendit.
vt res tota faciliùs percipiatur, historia successionis Imperato-
rum à Carolo vsque ad Othonem paulò altius repetenda
erit. Igitur Carolus Magnus à Leone III. Pontifice Romæ
anno DCCC. coronatus, successorem habuit Ludouicum fi-
lium, quem Stephanus IV. aliàs V. Papa Remis in Gallia co-
ronauit anno DCCC. XV. teste Othone Frisingensi lib. 4.
cap. 33. Ludouico Lotharius filius successit, quem Paschalis
Papa Romæ coronauit anno DCCC. XXII. eodem teste O-
thone lib. 5. cap. 34. Lothario successit filius Ludouicus, quem
Sergius Papa II. Romæ coronauit anno DCCC. XLIV. teste
Adone Viennensi in Chronico 6. etate. Ludouico Carolus
Caluus successit, qui huius Ludouici patruus erat, Lotharii
videli-

videlicet frater ex patre Ludouico seniore : coronauit autem Carolum Caluū Romæ Ioannes VIII. anno DCCC.LXXIV. teste Rheginone lib. 2. Chronici. Carolo Caluo Ludouicus Balbus filius successit anno DCCC.LXXVII. teste Rheginone ibidem. coronauit autem eum idem Ioannes Papa VIII. teste Onuphrio in additione ad Platinam in vita eiusdē Pontificis Ioannis. Ludouico Balbo successit Carolus Crassus Ludouici Regis Germaniæ filius, qui Ludouicus Caroli Magni ex Ludouico filio nepos erat. Coronauit eum idem Ioannes VIII. Romæ anno DCCC.LXXIIX. teste Othone Frisingensi lib. 6. cap. 8. Carolo Crasso Arnulphus successit, quem Papa Formosus coronauit Romæ anno DCCC. XCVI. teste Rheginone in Chronico. Fuit autem Arnulphus Carolomanni filius, Ludouici Regis Germaniæ nepos. Arnulpho successit filius Ludouicus; Ludouico Chūradus, Arnulphi ex alio Chūrado nepos. atque hīc series desit Caroli Magni, & gentis Francorum, vt ex Abbate Vrspergenſi in Chronico anni DCCCC.XIV. cognosci potest. Chunrado successit Henricus I. ex gente Saxonum cognomento Auceps. nam etſi is Henricus nepos erat Arnulphi Imperatoris ex filia, vt Albertus Kranzius demonstrat lib. 2. Saxonix cap. 33. tamen ex patre non Francus erat, sed Saxo. porrò nullus horum trium coronam Imperialem habuit, vt Historici omnes testantur. Henrico autē filius Otho successit, quem Ioannes Papa XII. Romæ, vt infra demonstrabimus, coronauit.

Quæstio igitur est, cœperitne Saxonū Imperium in Henrico, an in Othone. & quidem in Henrico cœpisse Illyricus totis viribus contendit: siquidem inde rectissimè deduci putat, inuito Romano Pontifice Saxonicum Imperium constitutum: quoniam is Henricus nec Romam ad Pontificem venit, nec ab eo vnctionem, vel coronationem vllam postulat. Ego verò Imperatorem primum ex gente Saxonum Othonem Magnum fuisse, eumque à Romano Pontifice Imperium accepisse, nullo negotio demonstrari posse censeo.



ddd

CAPVT